

## Emendationum in Statii Silvas Particula I.

Scripsit  
Aemilius Baehrens.

Statii silvarum libros mss. omnes qui quidem aetatem tulerunt ex illo codice, quem Poggius ex Gallia Romam portavit, fluxisse hodie sat notum est. non tamen ex ipso archetypo, sed ex eius apographo manasse illos, memorabilis Herm. Nohlii (quaestt. Stat. Berol. 1871, p. 34 sq.) suspicio est, quam ex libri Poggiani collatione ab Angelo Politiano in margine editionis principis facta (ea nunc Romae in bibliotheca Corsiniana adservatur; cf. Nohl 1. l. p. 27 sqq.) stabilire posse mihi video. nam in præfatione libri primi in. ‘quid enim?’ oportet huius quoque auctoritate editionis onerari, quod adhuc pro Thebaide mea, quamvis me reliquerit, timeo? verba ‘oportet huius’ a Domitio inserta sunt: omnes codd.<sup>1</sup> ‘quid enim . . . quoque’ cum lacunæ signo exhibent. at enim in exemplari Corsiniano hoc adnotatum est ‘quid no’. quod nihil aliud significat nisi hoc ‘quid.n.o’; ut et in optimo libro Rehdigerano ‘quid enim’ abbreviatum est ita ‘quid.n.’ est autem ‘o’ littera initium vocis ‘oportet’, quam rectissime Domitium supplevisse hinc iam dilucide appetet. itaque hic Politianus diligentius quam scriba libri illius nostrorum codicum parentis archetypum contulit. ceterum totum locum ita lege ‘quid enim oportet me huius quoque auctoritate editionis onerari *qui* (*quo*) codd.) adhuc pro Thebaide’ eqs. — insignius documentum praebent silv. V 5, 24—28, qui versus sic in codd. melioribus se habent:

hoc quoque cum in . . . terdena luce peracta  
acclinis tumul . . . uestus in carmina verto

<sup>1</sup> accuratam eorum notitiam A. Imhofii, viri clarissimi et de Statio egregie meriti, benevolentiae debeo. editionis principis Corsinianae collationem olim Nohlius amicus mihi commodavit.

discordesque in . . . singultantia verba  
molior. orsa ly . . . est atque ira tacendi  
impatiens. sed nec eqs.

et Politianus quidem hoc adnotavit ‘textus h̄t intercisos hos versus’: sed eiusdem testimonio diserto scimus, v. 27 ante illud ‘est atque’ in libro Poggiano duas praeterea litteras extitisse, quarum in nostris libris nullum apparet vestigium. quae utrum ‘ā ū’ vel ‘ā ī’ fuerint, in misera editionis Corsiniana conditione ei qui conferendi munere functi sunt non sat dinoscere potuerunt. libet autem iam hic loci de versuum illorum emendatione disputare. v. 26 non potest in dubitationem vocari quin recte suppleverit Domitius ‘discordesque modos et singultantia verba’; quinque igitur litterae (odos &) lacuna illa in hoc versu haustae sunt. iam si v. 25 cum vulgata scribimus ‘tumulo luctus’, duas tantum litteras periisse parum est credibile. sed, ecce, ipsum illud ‘luctus’ eo redarguitur quod iam v. 23 legitur ‘tanta est insania luctus’. adice quod codex Salisburgensis ‘nctus’ praebet<sup>1</sup>. unde hic quoque quinque litterarum omissionem statuendam esse censeo ita ‘acclinis tumulis planetus in carmina verto’; de ‘tumulis’ plurali cf. silv. IV 4, 55 ‘et magni tumulis adcantō magistri’. recte porro Gronovius diatrib. p. 586 v. 24 scripsit ‘dum nitor. videmus igitur, ita paenultimam archetypi paginam perscissam fuisse ut versus 24 trium, vv. 25 et 26 quinarum litterarum ceperint detrimentum. iam si de v. 27 in re incertissima coniecturam proferre licet, equidem in libro Poggiano haec fuisse putaverim ‘molior orsa ly . . fūestatque ira tacendi’. itaque primus ultimusque versus minore, medii maiore damno affecti erant. restat ut Statii verba probabiliter emendata apponam:

hoc quoque dum nitor terdēna luce peracta  
acclinis tumulis, *in* planetus carmina verto  
discordesque modos et singultantia verba.  
molior orsa lyra *funesta* atque ira tacendi  
impatiens: sed nec solitae mihi vertice laurus eqs.

igitur pro eo quod ‘planetus in carmina’ antiquitus erat exaratum ‘in planetus carmina’ rescripsimus. nam omnino ineptus est talis sententiarum conexus: dum hoc (sc. carmen) pango, planetus in carmina verto. ‘orsa funesta’ sunt verba tristia; cf. Markl. ad h. l.

<sup>1</sup> Budensis ‘uctus’, Rehdigeranus vitiose ‘narus’ habent, ceteri eique deteriores omittunt. in archetypo, si collationi est fides, ‘tumul . . . uctus’ fuit.

id quod est 'molior' optime congruit cum illo 'nitor'; nimirum carmen tum temporis Statio non sponte fluxit. et ponitur moliendi verbum ibi potissimum ubi magni laboris notio subest. cf. Achill. I 19 'te longo needum fidente paratu molimur'. cf. et silv. II 1, 28 'plango lyra'. — utut hae conjecturae se habent, Politiani diligentia collatione adiutis certissime nobis affirmare licet, omnes codices nobis cognitos non ex ipso Poggii archetypo, sed ex eius apographo descriptos esse.

I 1, 27 sq.:

te signa ferente

et minor in leges iret gener et Cato castris.

Mirum est quantum hic locus vexaverit criticos, cum sensus eius apertissime sit hic: si tu, Domitiane, Caesaris loco arma gessisses, nec Pompeius, non iam Magnus, nec Cato pertinacius tecum bellare animum induxissent, sed accepisset condiciones a te latas. iam illud 'in leges iret' magna exemplorum nube defendunt, sed hercule sat alienorum. vide modo locos tales: Ovid. Heroid. 4, 62 'in socias leges ultima gentis eo', Valer. Maxim. III 8, 4 'in exilium quam in legem eius ire maluit', Iustin. XII 3 'in leges eorum quos vicerat transiret'. his locis quaenam leges sint intellegendae, addito quodam (socias, eius, eorum) fit manifestum; cuius rei in eo de quo agitur versu nec vola appetet nec vestigium. iam si quis collecto simili Statii loco (silv. I 2, 28 'subiit leges et frena momordit ille solutus amor') publicas leges intellegi vult, vereor equidem ne is artificiis admotis locum interpretari studeat. quid enim? nonne Caesar potius contra leges reipublicae egit, cum Rubicone traecto arma Italiae et urbi inferret? dicendum erat 'legibus Caesaris', non 'legibus reipublicae'; has enim utraque pars et tueri et defendere praetendebat. neque vero respublica Romana, sed Caesar cum Pompeio bellum gessit. porro illud 'Cato castris iret' explicant 'e castris iret'. quod mihi quidem non satisfacit. nam si Statius dicere voluit 'arma Cato deponeret', ineptissime certe hanc sententiam expressit, cum is qui e castris it etiam in pugnam procedendi vel castra movendi gratia id facere possit. lege 'et minor in leges iret gener et Cato pacis'; cf. Verg. Aen. 4, 618 'cum se sub leges pacis iniquae tradiderit' et id. 12, 112 'et pacis dicere leges'.

I 3, 15 sqq.:

ingenium quam mite solo! quae forma beatissima  
arte manus concessa locis! non largius usquam  
indulxit natura sibi!

tolerari posset illud ‘concessa’ quamvis sublanguidum, si nullum a libris mss. haberet praesidium. qui cum ad unum omnes legant ‘arte manus artemque locis’, aliud quid sub hac scriptura latere in propatulo est. videntur autem verba proxime sequentia indicare, formae loci per artifices quaesitae opposuisse Statium pulchritudinem naturalem. hinc facile nascitur emendatio haec: ‘quae forma beatis arte manus facieque locis!’ secundum Gellium enim XIII 30 II. ‘non solum in hominum corporibus, sed etiam in rerum cuiusquemodi aliarum «facies» dicitur. nam montis et caeli et maris facies, si tempestive dicatur, probe dicitur’. hinc externa locorum species faciei vocabulo designatur (cf. ex. gr. Sallust. Cat. 55), et ita interdum designatur ut simul amoenitas notetur. sic apud Ovidium met. III 414 sq. legitur ‘hic puer et studio venandi lassus et aestu procubuit, faciemque loci fontemque secutus’, sic apud Corippum, laud. Iustini I 101 ‘vel Solis dicenda domus, gratissima visu et facie miranda loci’. ortum autem vitium inde quod voculae ‘facie’ littera prima periit post illud ‘manus’; cf. Fleckeis. ann. 1871 p. 660 sq.

I 4, 58 sqq.:

tuuc deus, Alpini qui iuxta culmina dorsi  
signat Apollineo sanctos cognomine lucos  
respicit, heu! tanti pridem securus alumni.

vocem ‘pridem’ non agnoscunt codices, quorum alii ‘preium’, alii, inter quos est Rehdigeranus, ‘precidem’, Reginensis 1976, haud spernendae auctoritatis liber, ‘presidem’ praebent. diligentius locum intuenti apparebit, securitatis illius causam dici debere. potuit autem Apollo tum temporis alibi detineri aut forte otiani. vide an sit legendum ‘heu! tanti *residens* securus alumni’. nescio autem an hanc emendationem stabiliat Claudianus, perpetuus Statii imitator, cuius haec in epithalamio Pall. et Celer. 56 sunt verba ‘equidem dudum te diva morantem mirabar, quid adhuc tanti secura maneres coniugii’. et respondent sibi aliquatenus ‘morantem’ et ‘residens’, id est, otiosus.

Ib. 86 sqq.:

gaudet Trasimenus et Alpes  
Cannensesque animae; primusque insigne tributum  
ipse palam lacera poscebat Regulus umbra.

fingit poeta, ut vox ‘palam’ demonstrat, Regulum ad ‘missum media de pace triumphum’ videndum adfuisse ex inferis. sed quomodo is illud Libycum tributum poposcisse dicitur? pulchra est Iortini, quam Marklandas adfert, emendatio: ‘lacera plaudebat Re-

gulus umbra'. mihi tamen leniore mutatione scribendum videtur  
 'noscebat Regulus'; nam 'noscere' est 'videre'; cf. silv. IV 4, 8  
 illic egregium formaque animisque videbis Marcellum et celso  
 praesignem vertice nosces' et Markl. ad I 3, 3.

I 6, 51 sqq.:

hos inter fremitus novosque luxus  
 spectandi levis effugit voluptas.  
 stat sexus rudis insciusque ferri  
 et pugnas capit improbus viriles. — —  
 hic audax subit ordo pumilonum eqs.

'mirum est illud 'levis effugit voluptas'. sane ut omnia mortalium  
 gaudia fluunt, ita et spectandi voluptas inter cenam praebita. sed  
 quis bene sanus ita loquitur? expectamus fere 'spectandi levis affuit  
 voluptas'. certior est disceptatio de verbis insequentibus. codices  
 enim tradunt 'ut pugnas'. habet autem illud 'stat sexus', quo  
 merito displiceat. etenim viragines illae proelii simulacrum edentes  
 non stabant, sed ut pugnae vices ferebant terga modo fugientes  
 vertebant, modo insequentes premebant. itaque emendandum puto  
 'hac (vel 'hic') sexus rudis insciusque ferri ut pugnas capit im-  
 probus viriles! *hac* (vel 'hic') audax subit ordo pumilonum'; cf.  
 Verg. Aen. I 466 'namque videbat, uti bellantes Pergama circum  
 hac fugerent Grai, premeret Troiana iuventus, hac Phryges in-  
 staret curru cristatus Achilles'. de 'ut' vocula cf. Catull. 66, 24  
 'ut tibi tum toto pectore sollicitae mens excidit!', Verg. Aen.  
 VIII 154 'ut te, fortissime Teucrum, accipio adgnoscoque libens!  
 ut verba parentis.. recordor!', Plinius paneg. 4 'ut nihil severitati  
 eius hilaritate, nihil gravitati simplicitate.. detrahitur!' et admodum  
 tales exclamationes in deliciis habet Statius.

Ib. 93 sqq.:

quis spectacula, quis iocos licentes  
 quis convivia, quis dapes inemptas,  
 largi flumina quis canat Lyaei?

'dapes inemptae' hisce locis inveniuntur: Verg. Georg. IV 132  
 'seraque revertens nocte domum dapibus mensas onerabat in-  
 emptis', Horat. epod. 2, 48 'dapes inemptas adparet', Prudi-  
 ent. cathem. 4, 58 'cernit forte procul dapes inemptas, quas  
 messoribus Abbacum propheta agresti bonis exhibebat arte'. signi-  
 ficantur igitur dapes non aliunde magnis sumptibus comparatae, sed  
 domesticae et viles. rectum quidem est, cenam illam a Domitianu  
 exhibitam convivis fuisse inemptam. sed primum quaero, cuinam  
 bono commemoretur gratuitas fuisse dapes. deinde credine potest,

Statium cenam illam summis laudibus efferentem epitheto usum esse adeo elumbi quodque facillime non tum ad largitatem quam ad vilitatem dapium potuerit referri? at nove dixit Statius et contra ceterorum poetarum usum. tale argumentum ut semper infirmum est, ita in carminibus Domitiano dedicatis nullum habet locum, quippe in quibus poeta vitata omni ambiguitate summo opere studeat verbis claris et apertis laudare Caesarem. mihi non dubium est quin ‘inemptas’ utcunque repositum sit a librario quodam qui quod in exemplari suo invenit ‘uenignas’ non intellexit. lege ‘et dapes benignas’; cf. Horat. epod. 17, 65 ‘egens benignae Tantalus semper dapis’. possis quoque ‘dapes opimas’ conicere coll. sylv. IV 9, 51 ‘aut cum me dape iuveris opima’; priorem tamen conjecturam praefero.

Praef. ad libr. II in. ‘et ipsa opuscilorum, quae tibi trado, conditio sic posita est ut totus hic alter liber meus etiam sine epistula exspectetur’. breviter moneo revocandum esse ‘etiam sine epistula ad te spectet’. codices ‘epistula expectet’ praebent. inceptum autem et omni sensu destitutum est illud ‘exspectetur’.

#### II 1, 65 sqq.:

obvius intranti rursus quis in ora manusque  
prosiliet brevibusque humeros circumdabit ulnis?  
muta domus, fateor, desolatique penates,  
et situs in thalamis et maesta silentia mensis.

illud ‘fateor’ adeo languere, nihil ut sit supra, libenter puto unusquisque concedet Markando. sed eiusdem commentum ‘pariter’ et a litteris parum commendationis habet et a sententia non minus abundat. elegantissima lectio restituetur poetae, si scripseris ‘muta domus stat ero (hero) desolatique penates’; cf. v. 75 ‘quaesisti lascivus herum’ et 129 ‘festinabat herus’. sylv. II 5, 11 ‘stat cardine aperto infelix cavea’ et ib. IV 8, 23 ‘sic fertilis, oro, stet domus’ et alia similia.

#### II 3, 43:

vive diu nostri pignus memorabile voti.  
'memorable' id est 'gloriosum', hic absonum est et ex ea corrupctela quam in Fleckeiseni annalibus 1872 p. 51 attigi, ortum. lege 'pignus venerabile voti'.

#### III 3, 71 sqq.:

hunc et in Arctoas tenuis comes usque pruinias  
terribilem affatu passus visuque tyrannum  
immanemque suis, ut qui metuenda ferarum

corda domant mersasque iubent iam sanguine tacto  
reddere ab ore manus et nulla vivere praeda.

v. 71 codd. ‘hinc’ legunt, quod sive pro ‘tum’ accipis sive pro ‘ex hoc tuo aulico officio’ recte se habet. difficiliorem loci sententiam Marklandus ita construendam esse dicit: ‘tenuis comes usque in Arctoas pruinias passus es hunc tyrannum; passus es, inquam, ut qui (id est, eodem modo quo illi qui) domant metuenda corda ferarum’. sed omnino intolerabilis est talis comparatio ‘passus es tyrannum, ut qui feras domant’, dicendum erat: ‘tu ita tyrannum domuisti ut qui feras domant’. neque enim illud ‘passus’ potes explicare ‘patiendo domuisti’. itaque mihi pro explorato est, latere mendum in illis ‘immanemque suis’. neque enim externa quadam sanitatis specie te decipi patiare. lege ‘terribilem affatu passus visuque tyrannum inmanem *emollis* ut qui metuenda fera-rum corda domant’. nimirum primum **INMANEMOLLIS** scriptum erat, unde frequentissima illa O et Q litterarum confusione **INMANEMQ. LLIS** factum est. iam vox ‘immanem’ pertinet ad illud ‘visuque’; cf. Valer. Flacc. I 208 ‘inmanis visu’. ceterum ad illud ‘passus emollis’ cf. Ovid. a. a. II 183 ‘obsequium tigris-que domat Numidasque leones’.

III 3, 74:

nunc frangere sexum  
atque hominem mutare nefas, gavisaque solos  
quos genuit natura videt’.

ineptum est illud ‘solos quos genuit natura videt’. sequeretur enim inde necessario, homines castratos a natura non genitos esse. ne multus sim in re aperta: scribendum est ‘gavisaque *totos* (vel ‘sal-vos’) quos genuit natura videt’. ‘totos’ est ‘nulla sui parte de-minutos’.

III 5, 14 sqq.:

certe lascivia corde  
nulla, nec aut rabidi mulcent te proelia Circi  
aut intrat sensus clamosi turba theatri.

recte Wakefieldus ad Luer. V 890 ‘rabidi Circi’ emendat: codd. ‘rapidi’ exhibent, quod mirum est Imhofium exemplis plane diversis (currus, axis, saltus rapidus) defendisse. neque potest stare quod idem contendit, ‘rabidi’ magis ad immanes amphitheatri laceratio-nes quam ad circum pertinere; cf. Anth. lat. R. II 645, 10 sq.: ‘hinc furiosi iurgia sunt circi, cuneati hinc taetra theatri seditio’; ita enim hic locus emendandus est. quid autem versu se-quenti illud ‘clamosi’ sibi vult? nam plaudentium aut sibilantium

clamores quid ad Claudio pectus turbandum valere potuerunt? quomodo lasciviam eius cordi iniecerunt? equidem nunquam putabo, Statium, sumptuum verborum artificem, inter varia theatri vocis epitheta elegisse id quod hic minime ei conveniat nihilque faciat ad rem. certum habeo, scripsisse poetam 'aut intrat sensus *damnosus* (damñosi) turba theatri'. scilicet bonos mores pessum dederunt theatra; cf. Prudent. perist. X 220 'cur in theatris te vidente id plauditur? cygnus stuprator peccat inter pulpita, saltat tonantem tauricornem ludius'; plura suppeditabit Teuffelius in hist. Rom. litt. § 8, 5 (p. 11 edit. sec.). de voce 'damnosus' cf. Markl. ad sylv. V 1, 93.

Secuntur v. 18 haec:

quas autem comitem te rapto per undas?  
quamquam, et si gelidas irem mansurus ad Arctos  
vel super Hesperiae vada caligantia Thules  
aut septengemini caput inpenetrabile Nili,  
hortarere vias.

hic quoque interpretes omnia plana esse putaverunt, velut Imhofius qui ita verba 'hortarere vias' explicat: 'ipsa iter urgueres et ultro te comitem praeberes'. equidem, si ita quamcunque sententiam poetarum verbis licet subcere, de arte critica via et ratione exercenda plane desperarem. simpliciter significant illa 'me hortarere, ut vias facerem', comitandi notio nulla omnino subest. iam vero illud 'quamquam' aperte demonstrat, Statium se minime dubitatem inducere quin ad extremas usque regiones profecturus uxorem habiturus sit comitem. quam sententiam cum tradito illi 'hortarere' inesse etiam atque etiam negari debeat, scribendum puto 'partirere vias'; cf. Theb. I 475 'quanta partitum extrema protervo Thesea Pirithoo' et Verg. Aen. XI 510 'mecum partire laborem'. de eo quod est 'vias' cf. Burmann. ad Propert. III 3, 3.

Ib. v. 26 sqq.:

tua frena libens docilisque recepi  
et semel insertas non mutaturus habenas  
usque premo. ter me nitidis Albana ferentem  
dona comis sanctoque indutum Caesaris auro eqs.

'premere' vel 'comprimere habenas' significat frena ad equum retinendum adstringere; cf. Verg. Aen. I 62 'qui foedere certo et premere et laxas sciret dare iussus habenas', Anth. lat. R. I 253, 146 'compressit habenas Phoebus', Claudian. de rapt. Pros. II 272 'comprime ferales torvi praedonis habenas' et similiter auctor Culicis

283 ‘labentes biinges etiam per sidera Phoebus pressit equos’. iam verba ‘tuas habenas usque premo’ cum per latinitatem hoc designent ‘regimen tuum semper reproto, inhibeo, avensor’, sensum efficiunt Statii sententiae aperte contrarium. noli dubitare quin dederit ille ‘habenas usque fero’. cf. Verg. Aen. III 541 ‘sueti quadrupedes et freна iugo concordia ferre’ et silv. III 3, 83 ‘tu totiens mutata ducum iuga rite tulisti’. qua emendatione recepta in illis ‘ter me nitidis Albana ferentem dona comis’ ferendi verbum nimis otiose repetitum est. puto autem eodem vitio quo silv. I 3, 19 ex ‘unda per umbras’ in codd. ‘umbra per undas’ et V 3, 181 ex ‘praesagis que aethera certum auguribus’ factum est ‘praesagum que aeth. certis aug.’, hic quoque peccatum esse. nimirum legendum censeo ‘usque fero. ter me nitidis Albana presentem dona comis’. est autem verbum simplex ‘premere’ positum pro composito ‘inprimere’; cf. Markl. ad silv. IV 5, 18.

Ib. v. 33 sqq.:

tu procurrentia primis  
carmina nostra sonis totasque in murmure noctes  
aure rapis vigili.

omnino eis assentendum est qui codicum scripturam ‘totasque in murmure noctes’ plane intolerabilem affirmant. nam homo totus in aliqua re esse dici potest, non item nox. quid porro est ‘noctes aure rapere’? nam Imhofium illa ‘totas in murmure noctes’ interpretantem ‘carmina nocturno labore vigilata’ nemo puto audiet. neque in hoc saltem carmine recurrere licet ad dilectum nuperimorum interpretum refugium, scilicet ad extempore illum, si dis placet, eclogarum colorem atque temeritatem, siquidem ipse Statius in huius libri praefatione scribit ‘hic, si verum dicimus, sermo est et quidem securus, ut cum uxore et qui persuadere malit quam placere’. nec hoc carmen nimis festinanter scriptum esse est cur statuamus. simplicis ingenii homo tale quid a Statio profectum esse putabit: tu indefatigato studio totas per noctes audis me carmina meditantem. rescribe ‘totasque, en, murmura noctes aure rapis vigili’. nam murmur illa sat inlustrantur verbis ‘procurrentia primis carmina sonis’. et apprime vox ‘en’ adcommodata est ad vocis ‘totas’ vim augendam. scimus autem ex Goethio nostro, poetas vel in lecto maritali aliquando modos pangere; more suo rem exaggerat Statius scribendo ‘totas noctes’, quasi non partem saltem noctis quieti dedisset. et haec quidem emendatio lenior mihi videtur quam quod itidem in mentem venit ‘totas quin murmur noctes’. nam ipsa vox ‘en’ in ‘in’, ut sex-

centies factum est, mutata corruptelae fuit causa. item silv. I 2,  
209 'quis tibi tunc alacri caelestum in munere claro, Stella dies?'  
scriendum puto 'caelestum, *en*, munere claro'. nam admodum  
hanc vocem poeta noster adamat.

## IV 1, 44 sqq.:

sic Ianus clausoque libens se poste recepit.  
tunc omnes patuere fores laetoque dederunt  
signa polo longamque tibi, rex magne, inventam  
adnuit atque suos promisit Iuppiter annos.

'patuere fores' crassa Minerva (cf. Markl.) interpolavit Domitius,  
cum quid lectioni traditae 'patuere dei' ficeret nesciret. provenit  
autem vitium quod versus contraxit ex solemni 'f' et 'p' littera-  
rum confusione: 'tunc omnes *favere* *dei* laetoque dederunt signa  
polo'; cf. silv. II 3, 125 'veniet *favente* *caelo*' et alia eius-  
modi sexcenta.

## IV 4, 81 sqq.:

credetne virum ventura propago,  
cum segetes iterum, cum iam haec deserta virebunt,  
infra urbes populosque premi proavitaque toto  
rura abiisse mari?

est hic locus inter eos qui Marklando tam inmaniter depravati sunt  
visi, ut de medela plane desperaret; cf. praef. ed. Dresd. p. XVII.  
sed, agedum, temptemus num nobis ἐπιγόνοις felicius res cedat.  
posteri autem cum audient calcare se urbes olim florentes, nonne  
eas utpote in littore sitas aequore quondam obrutas esse putabunt?  
quanto igitur magis obstupefient illi, si eas, dum mare tranquillum  
erat, perisse percepint. iam intelleges, puto, quo tendam. nimi-  
rum restituemus sententiam Statii indole et cogitandi ratione di-  
gnissimam hanc 'proavitaque *tuto* rura abiisse mari'; cf. Gronov.,  
observ. II, 11.

## Ibid. 101 sqq.:

iamque vale et penitus noti tibi vatis amorem  
corde exire veta. nec enim Tirynthius almae  
pectus amicitiae; cedet tibi gloria fidi  
Theseos et lacerum qui circa moenia Troiae  
Priamiden caeso solatia traxit amico.

Marklandus postquam Gronovii diatr. c. XLI explicationem verbo-  
rum 'nec enim Tirynthius almae pectus amicitiae' rectissimo usus  
iudicio reiecit et ipse complures suspiciones, sed eas infelicissimas,  
protulit, tandem locum utpote conclamatum reliquit. neque melius  
emendatio cessit eis, qui Marklandum exceperé, Bentleio et Imhofio.

quorum hic non favente loci sententia ‘nec enim te mitius’, ille nimis a litteris recedens ‘te certius’ coniecerunt. verum est hoc ‘nec enim *mihi iunctius* almae pectus amicitiae’. nam littera ‘m’ propter eandem praecedentis vocis omissa ex ‘ili iunctius’ primo ‘*thiunctius*’, deinde ‘*thirintius*’ factum est. qui corruptelae progressus quam facile potuerit optimere, sciunt qui unquam codices versarunt manibus. nil autem causae est cur cum Marklando ‘pectore’ illo ‘amicitiae’ offendas; cf. ex. gr. Martial. IX 14, 1 sq.: ‘hunc quem mensa tibi, quem cena paravit amicum esse putas fidae pectus amicitiae?’ ceterum quovis pignore affirmem, Statum hic Ovidium imitatum esse, cuius haec sunt verba Trist. I 3, 66 ‘o mihi Thesea pectora iuncta fide’.

IV 6, 41 sqq.:

haec exitiale ferebant  
robur et Argoos frangebant brachia remos.  
hoc spatio tam magna brevi mendacia formae!  
pro vulgata lectione ‘hoc spatio’ codices ‘ac spatum’ tradunt.  
neque video quomodo proprius ad librorum memoriam scribere licet ‘ac spatio’, quod elegantiae nomine commendat Handius. mihi, ut verum fatetur, illud ‘ac’ et languidissimum et a latinitate prorsus abhorrente videtur. scribemus, puto, ita ‘a, spatio tam magna brevi mendacia formae!’

Ibid. 47:

tale nec Idaeis quidquam Telchines in antris  
nec solidus Brontes nec, qui polit arma deorum,  
Lemnius exigua potuisset ludere massa.

codices ‘nec stolidus Brontes’ exhibent. recte autem negat Handius, ‘solidus’ vocabulum unquam de ipso homine eiusque virtute ac robore dictum esse. coniecit itaque ‘nec validus Brontes’. mihi aliud latere videtur. rescribo enim ‘nec *Siculus* Brontes’, quod optime congruit cum illis ‘Idaeis antris et Lemnius’. cf. silv. I 1, 3: ‘Siculis an conformata caminis effigies lassum Steropem Brontemque reliquit?’

Ibid. 67:

seu clausam magna Babylona refregerat hasta.  
'magna hasta' nullo pacto pro magno hastatorum exercitu accipi potest, sed ea est intellegenda quam nos dicimus: eine gewaltige Lanze; cf. silv. V 1, 133 'divinaque tela vibrantem et magnae sparsum sudoribus hastae' et Verg. Aen. X 335 'tum magnam corripit hastam'. adice quod statim versu abhinc altero sequitur 'magnoque ex agmine laudum'. solet autem Statius, ut omnes

fere poetae latini, adiectivo eodem nisi duobus versibus intercedentibus non uti. pauci qui huic regulae repugnare videntur loci facili negotio accendentibus plerumque aliis suspicionum causis, possunt removeri. restituo igitur 'seu clausam *multa* Babylona refregerat hasta'; cf. Hand ad silv. I 2, 48.

IV 8, 15:

dulci fremit, ecce, tumultu  
tot dominis clamata domus.

codd. 'dulcis tremit ecce tumultus'. id quod vulgo legebatur 'dulci tremit e. t.' recte Marklandus improbat. ortum est vitium e mala litterarum diremptione. scripsit enim, ni fallor, Statius, 'dulci strepit, ecce, tumultu', unde factum est a librario 'dulcis trepit'. quo vitio admisso restituere sibi videbatur corrupta quisquis 'tremit' et 'tumultus' revocavit. — uno verbo moneo, eiusdem carminis vv. 40 sq. ita esse scribendos: 'sic tardus inersque nunc demum mea vota cano: tu culpa tuusque hic pudor'. codd. et edd. prave 'sed tardus' habent. eodem vitio silv. V 2, 97 pro 'sic crescunt' in codd. 'sed crescunt' scriptum est.

V 1, 146:

sic plena maligno  
afflantur vineta noto, sic alta senescit  
imbre seges nimio, rapidae sic obvia puppi  
invidet et velis admubilat aura secundis.

'rapidae' vox neque in comparatione instituta locum habet neque illis quae sunt 'plena vineta' et 'alta seges' ullo modo respondeat. adice quod venti celeritati navis invidentes nisi ineptissime non possunt fingi. lege 'gravidae sic obvia puppi'; cf. Achill. I 556 'vel in antra reverti melle novo gravidas mitis vidi Hybla catervas'. — hic addam duas alterius huius libri carminis emendatiunculas longa verborum commendatione non egentes, v. 71 sqq.: 'at tibi Pieriae tenero sub pectore curae et pudor et docti legem sibi dicere mores; hinc ('tunc' vulgo) hilaris probitas et frons tranquilla' et v. 150 'qualiter in Teucros *ultricia* ('victricia' codd.) bella paranti ignotum Pyrrho Phoenix narrabat Achillem'.

V 3, 43:

sume et gemitus et munera nati  
et lacrimas, rari quas unquam habuere parentes.  
codd. optimi 'sume gemitus' tradunt, quod 'et' vel 'hos' inse-  
rendo emendabant viri docti. lege 'sume o genitus'; cf. ex. gr.  
Verg. Aen. VI 194 'este duces o, siqua via est'.

Ibid. 61 sqq.:

meque habitus moresque tuos et facta canentem  
fors et magniloquo non posthabuisset Homero.  
scripturam librorum atque tibi moresque tuos ita ut supra ex-  
cripsi mutavit Marklandus. optime enim perspexit vir ingeniosissi-  
mus, neque illud 'tibi' posse retineri et desiderari ad vocem 'ca-  
nentem' id quod est 'me', sed ut saepius nimis magno molimine  
vitium parvum removere adgressus est. scribe 'atque ibi me mores-  
que tuos et facta canentem'. nam id ipsum quod 'me' ante 'mo-  
resque' intercidit, vocis 'ibi' in 'tibi' mutationi ansam dedit. ce-  
terum cf. v. 133 'atque ibi dum profers annos', Achill. I 491 'at-  
que ibi dum mixta' Catull. 66, 33 'atque ibi me cunctis' et alibi.

Ibid. 69 sqq.:

maior certe aliis superos et Tartara pulsem  
invidia, externis etiam miserabile visu  
funus erat.

mirum est librorum memoriam hanc 'maior aliis forsan superos'  
adhuc non emendatam esse. quid enim apertius est quam Statium  
genetrici illi orbae et feminae primaevi coniugis obitum marenti  
ita se opponere ut dicat 'maior at his forsan superos et Tartara  
pulsem invidia: externis' eqs.? nimirum 'maior invidia' pro 'maiore  
invidia' dictum est; cf. Markl. ad h. l. 'maior at' ut infra v. 129  
'maior at inde', 'maior his' ut silv. III 5, 50 'nec minor his tu  
nosse fidem'. ceterum cf. silv. V 1, 22 'et iuustos rabidis pul-  
sare querelis caelicolas solamen erat', V 5. 77 'nonne horridus  
ipsos invidia superos iniustaque Tartara pulsem' et incertus auctor  
carminis de Sodoma 21 'pulsabant caelum invidia communia monstra'.

Ibid. 85:

nota nimis vati. quis non in funere cunctos  
Heliadum ramos lacrimosaque germina dixit  
et Phrygium silicem atque ausum contraria Phoebo  
carmina nec Lyda gavisam Pallada buxo?

in quibus illud 'Lyda gavisam' egregia est correctio Imhofi de Stat.  
silv. cond. crit. p. 23. sed praeterea corruptum est illud 'quis non  
in funere cunctos'. omitto 'cunctos' plane praeter necessitatem  
addi, quin subridiculum esse 'cunctos Heliadum ramos', nemo unus  
cum de una et altera Phaethontis sorore mutata potuerit loqui, sed,  
ut rei ferebat natura, simul de omnibus. sed vide porro, quanto-  
pere 'funere' vox sine epitheto frigeat. quoniam in funere, iure  
quispiam quaeret. non enim in uniuscuiusvis hominis nullo cognationis  
vinculo coniuncti, sed in carorum funere poeta tales que-

relas edet. codices praebent 'in funere cuncto'. lege 'quis non in funere *iuncto* Heliadum ramos' eqs., ut simillime inveniuntur silv. II 4, 22 'cognata funera' et Catull. 68, 98 'cognati cineres'.

Ibid. 126 sqq.:

te de gente suum Latiis adscita colonis  
Graia refert Sele, Phrygius qua puppe magister  
excidit et mediis miser evigilavit in undis.  
maior at inde suum longo probat ordine vitae.

v. 127 'Sele graius qua' libris traditur. quod cum aperte historiae repugnet, Heinsius et Marklandus 'Phrygius' reposuerunt. sed enim potuit leniore correctione rescribi 'Troius qua puppe magister'. porro pro 'maior at inde suum' Marklandus et Bentleius coniecerunt 'Parthenopeque suum'. recte autem vulgata lectio se habet interceditque post v. 129 unus versiculos qui fortasse ab his verbis incipiebat 'Parthenope te iure'; 'maior iure' ut supra v. 69 'maior invidia'.

V 4, 7—13:

septima iam rediens Phoebe mihi respicit aegras  
stare genas; totidem Oetaeae Paphiaeque revisunt  
lampades et totiens nostros Tithonia questus  
praeterit et gelido spargit miserata flagello.  
unde ego sufficiam? non si mibi lumina mille  
quae sacer alterna tantum statione tenebat  
Argus et haud unquam vigilabat corpore toto.

Dixit de illis Oetaeis Paphiisque lampadibus Gronovius (ad Sen. Herc. fur. 132) iam a Marklando citatus. miro autem consensu omnes libri mss. 'revisent' praebent. neque caret vulgatum 'revisunt' offensione. legendum itaque censemus 'totidem Oetaeae Paphiaeque *resident* lampades'; cf. Hor. od. II 5, 19 'ut pura nocturno renidet luna mari'; v. 10 non dubito quin Schraderi suspicio 'gelido parcit flagello' ei quod Marklandus proposuit 'tangit' longe sit praferenda. sed illud mirari subit, neminem adhuc in illo 'miserata' vitium esse odoratum. nam plane contrario modo dici debuit 'non miserata'. fortasse dedit poeta 'et gelido parcit, *mihi saeva, flagello*'. possis ita quoque conicere 'mihi sera'. nempe ei qui somni expertes in lectulo volvuntur nimis tardè diem approxinquare queruntur. uteunque hoc se habet, certiore remedio ex verbis insequentibus mendum itidem adhuc non perspectum removere posse mihi videor. nam si tales locos comparaveris silv. I 4, 127—130 'qua nunc tibi pauper acerra digna litem? nec si vacuet Mevania valles... sufficiam' et IV 2, 7 sqq. 'quas solvere grates sufficiam? non, si . . . . , digna loquar', intelleges, recte Statium ita scribere potuisse non ego sufficiam, 'non si mihi', vulgatam lectionem nullo modo genuinam esse. sed vide mihi quam facili negotio haec macula possit elui 'si' vocula in 'ſt' mutata: 'unde ego sufficiam? non sunt mihi lumina mille' eqs.

Scr. Lipsiae mense Martio a. 1872.